

Joachim Schönermarck Johann Hensler

## **Disputatio De Legitima Defensione Seu Inculpata Tutela**

Rostochl: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730627721>


Druck Freier  Zugang



R. U. jur 1673.

Schönermarck, Joachim Prass.

Henster, Johann Resp.



5  
DISPUTATIO  
DE  
LEGITIMA DE-  
FENSIONE SEU IN-  
CULPATA TUTELA.

QUAM

ANNUENTE TRINA UNITATE

*Permissu & autoritate amplissimi Senatus Juridici  
in inelytâ Rosarum Academiâ,*

PRÆSIDE

DN. JOACHIMO SCHONERMAR-

CHIO, J. U. D. & Professore ordinario, Provincialis Judicij  
adessore dignissimo, & pro tempore Rectore magni-  
fico, Præceptore suo summe colendo.

*Publicæ, ad diem 3. Jul. loco & horis solitis, censura  
committit*

JOHANNES HENSLERUS Solitarenfis.


•• (S) ••



Rostochl

*Typis Joachimi Pedani, Anno 1613*

*praesentibus pectus/semper vno hinc Martio Schmidtus  
de V. C. amico ac fratri suo carissimo, summissimo  
offert. Pp*



*Magnificis, nobiliss. clariss. consultiss. longaq̄,  
rerum civilium experiētiā prudentissimis viris,*

DNO: CASPARO RUDOLPHO  
à Welschberg vicecomiti ac Consiliario Ha-  
noico primario.

DNO: THOMAE LINDEMANNO  
J. U. D. in illustri hoc Rosarum Athenæo Professore  
ordinario & pro tempore amplissimæ faculta-  
tis Juridicæ Decano spectabili.

DNO. BALTHASARO BESELIN,  
nobilissimæ urbis Ansatice Rostochij civi  
primario.

DNO. PETRO MOLLERO,  
civitatis Stenoviensis civi ac Senatori inte-  
gerrimo.

*Dnis Mæcenatibus, Promotoribus, hospi-  
tibus, sororio & amicis suis summo  
studio colendis, legale hoc exerci-  
tium litat.*



Ioh. Hensl.



1933. III. 50

THE S I S I.

**N**ter omnia quidem delicta contra decalogum commissa, vel inprimis illud, quod cædibus ac luctu grassatur, hominisq; omnium creaturarum; tam ratione creationis; quam redemptionis; dignissimi, sanguinem effundit, vitam eripit, & reimp. civibus orbat, homicidium nempe, gravissime & certissime puniri divinæ legis sancit autoritas. *Gen. 9. 6. Exod. 21. 12. Levit. 24. 12. Num. 35. 31. Deut. 19. 13.*

2. Nullâ tamen ratione scholastica illa irregularitas stabilitur, quæ secundum *Thom. de Aquin. Cajet. August. de Ancon. Domin. à Soto & alios.* ex quovis contrahitur homicidio, adeò ut tam justè nemo alterum occidere queat, quin aliquid labis & noxæ inde contrahat, quo minus ad S. ministerium possit promoveri.

3. Nemo enim tam audax, sagax & religiosus, qui vim injustam, quæ non temporalia & caduca bona, sed vitam ipsam, quâ in universo orbe nihil uti jucundius, ita carius & pretiosius, turbare, imò extirpare conatur, sub religionis aut quovis alio prætextu, persuadere hæcenus aut potuerit, aut etiamnum valeat.

4. Quinimò naturam citius totam pervertet, aut solem è mundo tollit, quam defensionem legitimam, & injuriarum propullationem, non tam civili, *l. 3. ff. de l. & l. l. 4. l. scientiam 45. §. qui cum 4. l. si ex plagis 52. §. 1. ff. ad l. Aquil. l. 1. §. vim 27. ff. de vi & vi arm. & infinita alijs textibus.* quam naturali, *d. l. 1. §. 27. l. 1. §. cum arietes 11. ff. si quad. paup. sec. dic. c. jus naturale 7. d. 1. gentium, l. 1. in fin. junctâ l. 3. ff. de l. & l. canonico, c. dilecto filio, de sentent. excom. in*

6. *Clem. un. de homic. & divino jure, Exod. 21. 13. Exod. 35. 16. & seqq. Deut. 19. 5.* licitam, quam & nec jussu principis aut simili modo prohiberi posse putamus, interveriet.

5. Unde etiamnum in omnibus benè constitutis judicijs in puncto homicidiorum propositam ac motam accusationem, dictæ defensionis exceptione diluere, & vitam suam conservare, reo laudatissimè permittitur. *Obr. in procem. tract. de leg. defens.*

6. Sed (quæ hominum est perversitas) quia sæpè multùm hic à multis peccatur, qui potiozem litibus serendis quam auferendis, judicijs eludendis quam promovendis dant operam, & non rarò, privati lucelli causa, in crimine manifesto inculpatam tutelam prætendentes, judici imponere conantur, non abs re facturos nos arbitramur, si materiam hanc nobilissimam & in foro usitatissimam definitione, objecto, formâ, effectu & probatione, brevissimè comprehensam, publicè discutiendam & ventilandam exhibeamus.

7. Est autem defensio legitima instantis imminentis-que periculi & injuriæ cum moderatione inculpatæ tutelæ propulsatio, ad sui suorumq; conservationem suscepta & facta. *d. l. 3. ff. de l. & l. l. scientiam 45. §. qui cum aliter ff. ad l. Aquil. l. i. §. item Divus ff. ad l. Corn. de sic.*

8. Occupatur illa vel circa personas, vel circa res vel circa famam.

9. In personis considerandum A QVIBUS, PRO QVIBUS, & CONTRA QVAS defensio legitimè & licitè fiat.

10. A QVIBUS: & sciendum quod à quolibet indistinctè fieri queat, nec interit, cujus conditionis, sexus vel ætatis, an puer, adolescens, vir, senex, mulier, doctor, apollotus, itudiotus, clericus, laicus, nobilis vel plebejus sit.

*Proba-*

Probatur ex Florent. in d. l. 3. ubi legitur verbum **QUISQUE** generale, quod omnes omnino complectitur, & nullum excipit. l. hoc articulo 29 ff. de hered. instit.

II **PRO QVIBUS**: & defendimus personam aut propriam, quod extra omnem controversiæ aleam, d. l. 3. verb. corporis sui ff. de l. & l. l. 3. verb. propriæ salutis C. ad l. Corn. de sic. aut alienam; hancque vel

12. Necessariam; seu sanguinis & adfinitatis vinculo nobis junctam, ut sunt, parentes, liberi, uxores, fratres, sorores, affines & similes: Et hos sanguinis nexu ad mutuam defensionem adstrictos colligimus, ex d. l. 1. §. item Divus ff. ad l. Corn. de sic. l. 8. in fin. ff. quot met. caus. l. 1. 2. 3. ff. de lib. caus. l. hi tamen ff. de accus. l. sed & ha persona 35. ff. de procur.

13. Extraneam, pro cuius oppressi defensione, an alij standum? magna Dd. lis, nec etiamnum sopita, sed varijs distinctionibus contorta, quibus tamen posthabitis absolute affirmamus, propter l. culpa 50. l. nullum crimen 100. ff. de reg. J. l. 2. §. item Varus 5. vers. quãquam de aq. pluv. arcend. l. 6. in fin. ff. de re mil. c. non in inferenda 23. q. 3. c. dilecto 6. de sentent. ex com. in 6.

14. Succedunt personæ **CONTRA QVAS** defensio licita, ubi notandum regulariter, quod contra illas, quæ vim & injuriam non inferunt, non sit licita, nam ut hæc locum habeat, offensionem præcedere oportere. communi calculo comprobatum est, Obrecht. in tract. de leg. def. c. 6. n. 3. & 11.

15. Unde dilucide apparet adversus parentes, præceptores, dominos magistratus, eorumque ministros & executores defensionem licitam non esse, offensio siquidem lib. illis est concessa & licita, l. 3. C. de patr. potest. l. 5. in fin. ubi Bart. & Bald. ad l. Aquil. l. 7. §. præterea 2. ff. de injur. Novel. 8. c. 8. l. semper in pr. ff. de jur. immun. l. 4. C. de ijs qui ad ecclies. conf. Ergo defensio est illicita.

A3

Hac

16. Hæc tamen cum mica falis intelligenda, non præcisè sine ulla exceptione vera esse putamus: Nam quamdiu quilibet suo dextrè fungitur officio, nec metas à Deo & naturà præscriptas transiit, honor, reverentia, officia & servitia salvâ tectâq; manent; secus non. *Id. communiter ad sapè d. l. 3.*

17. Quare filius, quando pater castigandi metam certis conditionibus constrictam, æquitatisq; regulis coarctatam, transgreditur aded, ut vitam suam aliter liberare nequeat, impunè se defendere contra patrem etiam cum internectione poterit, *arg. l. 3. § ult. C. de pat. potest. l. minimè 35. ff. de relig. § sumpt. fun. ut maximè hoc Bodino displiceat, § Obrechio durum videatur.*

18. Eandem, & quidem lubentiùs discipulo adversus præceptorem, modum incastigando excedentem, salvandi licentiam concedimus. *l. 6. ff. ad leg. Aquil.*

19. Majoris dubij quæstio est de magistratu, eminentiori non tantum, ut Principe, Duce, Comite, sed & summo, ut Imp. Papâ, Rege, an si is extra jus & officium aliquem subditorum interficiendi animo aggrediatur, subditus adhibito moderamine inculpatae tutelæ, illum interficere queat? Et quanquã multi sint, qui, quod subdito, propter majestatem & totam provinciam, cujus personam magistratus sustinet, defensio & resistentia licita non sit, defendant, nos tamen, etiamsi invasus homo vilis & inutile terræ pondus, contrarium statuimus, *cum Clar. lib. sentent. §. homicidium n. 29. & 30.*

20. Et sic de magistratibus dubitatur, quin & non minus de eorum ministris, quibus etiam aliquatenus offensionem concessam esse supra diximus, acriter ambigitur, an eis, quia sine mandato nihil agere præsumuntur, resistere licitum? Et cum hoc hominum genus plerumq; audax & pro-

protervum, omni modestiâ & honestate posshabitâ, dolo malo & merâ lasciviâ, quanquam sub demandati officij prætextu, sonibus & intontibus vim inferat, quis quæso excusare possit? *Dd ad l. 2. §. 1. ff. quod met. caus.*

21. Sed cum nonnullis in locis usu obtineat, ut ijdem ministri reum è manibus suis evadentem, fugâq; sibi consulentem, globulo è bombardâ ejecto, transfigere possint, disquirere placet an ille mos probandus? Négantium castra sequimur. *cum Fachin lib. 9. c. 74.*

22. Porrò cum ulcerosis hisce temporibus nullæ quarrelæ frequentiores, quam lites domesticæ, indeq; quæ sequuntur injuriæ, meritò dubitatur, quid de defensione mariti & uxoris sentiendum? Et illorum, qui hoc casu idem, quod de patre & filio suprâ dictum, statuunt, partes tue- mur. *l. consensu 8. §. qui igitur C. de repud.*

23. Non ineleganter quoq; quæritur, cum adversus eos defensio non sit licita, qui vim & injuriam non inferunt, an furioso obistere licitum? quod A. *per textum sup th. 7. allegatos.*

24. Si non magè, certè æquè ardua quæstio incidit, an bannitus se contra vim, etiam cum internecione aggressoris rectè defendat? & affirmandum putamus. *arg. §. naturalia Inst. de l. N G. & C.*

25. Hæc de personis breviter, res quantum attinet difficilis, cotidiana, mirèq; in utramque partem ventilata quæstio est, an alicui propter rerum suarum defensionem, invasorem impunè occidere licitum? Negativæ subscribitur. *l. 2. ff. de stat. hom. l. jesi. §. me 44. ff. de adil. edict. c. si perfodiens c. suscipimus extr. de homic.*

26. Sequitur nunc fama, existimatio & honor, quæ defendere nobis licere adversus lædentem, neminem ambigere scimus, sed num ita, ut injuriantem lucis usurâ privare liceat?

liceat, quæstionis est non usq; deq; expeditæ. Nos sepositâ Dd. distinctione, an judicis copia haberi queat nec non, planè non licere dicimus, *l. 13. ff. quod met. caus. l. creditores ff. ad l. Jul. majest. & sequentia porismata inde quasi manantia adferimus.*

27. 1. Provocationem illam (quâ non tantum armatos, sed & togatos milites ac plebejos frequentius quam aquâ & igne uti, non sine abominatione testatur experientia) ejusmodi verbis factam, *bistu ein redlicher Kerln/ vnd fein Schelm/ so komme herauß vnd wehre dich mein/* offensionem talem non esse, ut ideo duellum acceptare & inire liceat. *arg. sape alleg. l. 3. de J. & J. & similitum.*

28. 2. Provocatum si non compareat, pro homine timido, effæminato & infamiâ notato, nullo modo habendum, nec à congregatione honestorum virorum segregandum, nec in consessu mappæ partem; eo mentæ loco, quo sedet, abscindendam, licet opinio vulgi contrarium statuatur, sed impiè sineq; ratione. *Levit. 19. Deut. 32. Eccles. 28. l. nullus 14. C. de jud. & cælic.*

29. 3. Duellum illud planè detestandum & illicitum, ac proinde in id ruitantem, & se sanguine antagotitæ polluentem, necessariam defensionem prætere non posse, *l. un. C. de glad. penit. toll. Matt. 4. 7. c. monomachiam 29. q. 4. c. cura cum seq. de purg. vulg.*

30. 4. Conviciantem mendaciæ impunè arguere, quinimò recriminatione uti & retorquere injuriam, injuriatum posse. *l. qui cum major 14. §. si libertas 6. ff. de bon. lib. l. quæ omnia 25. ff. de procur.*

31. Pertinet huc pudicitæ defensio, quam hîsdem, cum honoris defensione, juris carceribus claudere uti erubescimus, ita insidias honestè viventis virginis pudicitæ struentem, eiq; vim inferentem, justè à virgine interfici posse  
intre-

intrepidè statuimus l. 8 § 2. ff. quod met. caus. l. 2. § Et cum 24.  
ff. de O. J. hoc facit, quod Hieron. in c. Si Paulus 32, q. 5. ait, Deum  
omnia posse, nisi virginem non resuscitare post ruinam.

32. Quod de virginis pudicitia diximus, ad matrimoni-  
alem etiam castitatem benigniùs traducimus, statuentes vi-  
rum pro castitate uxoris defendenda, vi infidiantem impu-  
nè interficere. l. 1. § item Divus ff. ad l. Jul. de adult. d. l. 8. § 2.  
ff. quod met. caus.

33. In puncto juris feudalis non ἀλόγως hic quæritur,  
an vassallus dominum ob suæ pudicitia vel suorum tutelam  
interficiens, feudo privandus? quod N. cum gloss. Ifern. Al-  
var. Afflict. in c. 1. vers. porro, quæ fuit prim. caus. benef. amitt. 2.  
F. 24.

34. Hæc de objectis, restat ut de forma pauca dica-  
mus: ea autem consistit in inculpatae tutelæ moderamine,  
sine quo iusta nec legitima defensio esse nequit, est enim ejus  
anima, vis ac caput.

35. Dicitur autem inculpata tutela, quæ suis terminis  
se continet, & duntaxat vim ac injuriam propulsat. l. 45. §  
qui cum aliter ff. ad l. Aq. l. 1. C. unde vi c. significasti de homic.  
consistitq; in tribus, MODO, TEMPORE, CAUSA.

36. MODUS postulat, ut defensio sit periculo præ-  
senti proportionabilis, non verò major aut atrocior, quam  
vis aut injuria quæ infertur aut imminet, atq; adeo ut ne-  
cessitas & vitæ periculum sit præsens. Gail. 1. observ. 110. n. 13.

37. Hic quæritur, an solæ minæ ad defensionem sus-  
cipiendam sufficiant? D. V. Wesenb. cons. 19. n. 57.

38. Ut &, an omnis vis & insultus sit sufficiens ad de-  
fensionem? N. l. 3. § eum igitur ff. de vi & vi arm. Constit. Car. V.  
art. 240.

39. Vario quoq; Marte certant interpp. an anolo-  
gia arithmetica seu paritas armorum requiratur? N. arg.

B

l. Si

*l. Si qui 3. ibi. defensor propria salutē. C. ad l. corn. de sic. l. 4. in fin. eod. huc facit quod necessitas juxta Bald. l. 1. n. 13. C. unde vi excusabile facit, quod alias non esset.*

40. Pertinet insuper huc ambigua mirisq; distinctionibus gravata juris quæstio, an is cui vis infertur fugere teneatur? quam nos categoricè N. *clem. un. de homic. l. 45. §. 4. ad l. Aq. l. 2. C. ad l. Corn. de sic. Ordin. crim. artic. 140. 142. & omnibus textibus de defensione loquentibus, & ab eventu, quod fugiens facile cadere & opprimi queat, exemplo Nisi Virgiliani in s. Æneid.*

— *Fesig, sub ipsam*

*Finem adveetabant, levi cum sanguine Nisus*

*Labitur infelix.*

41. Indagare quoq; lubet, an ad evitandam membri mutilationem, puta amputationem manus, pedis, brachii, occidi aggressor possit? A. *quia ad mensuram ictus infligere nullius in potestate est ut communiter Dd. dicunt.*

42. **TEMPUS** vult, ut propulsatio fiat in continenti, durante rixâ, non interveniente actu extraneo, seu, uti nos loquimur, *auff frischer hantbaffter that / vnd frischem freyen Fuß*: unde apparet quot primus ictus non expectandus, sed sola signa sufficiant, actusq; manifesti, qui declarant aggressorem percussurum ut communis Dd. Schola concludit. *arg. l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. & simil.*

43. Quid a. hic in continenti sit & dicatur, non eadem est omnium mens, sed quidam inter defensionem personarum & rerum distinguunt: nos autem arbitrio judicis relinquemus. *arg. l. 1. §. 1. ff. de jur. delib.*

44. **CAUSA** requirit, ut propulsatio facta sit ad tuitionem, non ad vindictam & ultionem, sit æquabilis remota ab omni culpa, quod ex circumstantijs personarum, rerum, locorum, antecedentium & consequentium, ex apparatu, minis & id genus alijs bono judici considerandum erit.

*Wesemb. consil. 12.*

45. Ad

45. Ad effectum inculpatæ tutelæ jam vela vertimus, qui est tantus, ut ab omni pœna, non tantum in civili, sed & poli ac conscientiæ foro, liberare putemus. *arg. thes. 4. supr.*

46. Sed si quis qualitercunq; moderamen excefferit, num liberandus ordinariâ. l. Cornel. pœnâ? sic statuimus *per l. 1. §. item D. Hadrianus ff. ad l. Corn. de sic.*

47. Atq; hæc de requisitis legitimæ defensionis sufficiant, superest, ut videamus, quomodo articulari & probari possit & debeat: ubi statim non levis dubietas, an sufficiat provocationem & insultationem injustam probari, an vero & necessitas probanda? sunt qui hoc affirmant, sunt qui negant, utriq; prægnantibus suffulti rationibus: in affirmantium tamen sententiam in præsentia proniores sumus.

48. Multis quoq; aqua hæret, an defensio illa præsumptionibus & testibus minus idoneis probari queat? quidam affirmant, quidam negant, quidam distinguunt, quidam aliter se extricando intricant, nos itidem ab affirmantibus non decedimus, & reliqua huc pertinentia ad pragmaticorum scholam relegamus.

### *Quo uberior disputationis seges, sequentes adponimus adsertiones.*

1. Pater jure cogi potest ad sumptus studiorum filio præstandos, qui tamen in legitimam computari nequeunt.
2. In libris studioforum tacita hypotheca non constituitur.
3. Minor à laureæ supremæ præfatione & insignium doctoralium petitione submoveri nequit, licet per quinquennium in Academijs non vixerit.
4. Promissio sub clausula loco juramenti, vel subinterpositione fidei, non æquiparari juramento verè & realiter præstito, de jure verius est.
5. Officiarij jurati, sub juramento in ingressu officii præstito, ad depositionem testimonii non admittuntur, sed speciale testimonium juramentum præstare coguntur.
6. Prin-

6. Principes edictis pœnalibus venationis usum subditis suis interdicere possunt.

7. Judæi à Christianis magistratibus inter subditos suos salvâ conscientia ferri & tolerari possunt, sub certis tamen legibus & conditionibus.


8. Magistratus in suo territorio judæos habens non omnes illorum causas ad juris civilis normam examinare potest.

9. Colophonem addat inquisitio in furti pœnam, quam pro variarum gentium moribus & legibus variam ac diversam fuisse constitutam, historiae testantur. Jure 12. tabb. furtum nec manifestum pœnâ dupli coërcèbatur, manifestum vero capitale erat, id est mors vel civilis vel naturalis irrogabatur. *Gell. lib. 11.* quam tamen 1. 12. tabb. acerbitem in furto manifesto coërcendo postea prætores mitigarunt & pœnam quadrupli constituerunt: Digestorum a. jure nonnunquam in fures pœnâ capitali animadvertum est, & paulatim eò deventum, ut vel civiliter ad pœnam pecuniariam vel criminaliter ad pœnam extraordinariam agere ob furtum liceret: Verùm illam pœnam arbitrariam jure Novellarum ad corporis supplicium, manus abscissionem, vel quam pœnam aliam corporalem extendere vitium fuit, donec Carolinâ constitutione, & Romani imperij consuetudine, fures ad furcam seu patibulum damnari captum sit. De qua imperatoria seu consuetudinaria pœna subtilis & elegans in Scholis quaestio est, an ea delicto major & gravior sit? Nos omisâ autorum & autoritatum (quibus non pauci moventur) ponderatione, propositum problema affirmando, veritatem investigabimus.









the scale towards document

in inculpatæ tutelæ jam vela vertimus,  
omni pœna, non tantum in civili, sed &  
oro, liberare putemus. *arg. thes. 4. supr.*  
qualitercunq; moderamen excefferit,  
nariâ. l. Cornel. pœnâ? sic statuimus  
*adrianus ff. ad l. Corn. de sic.*

re requisitis legitimæ defensionis suffi-  
ciamus, quomodo articulari & proba-  
ri statim non levis dubietas, an sufficiat  
sultationem injustam probari, an vero  
da? sunt qui hoc affirmant, sunt qui  
antibus suffulti rationibus: in affir-  
entiam in præsentia proniores sumus.  
q; aqua hæret, an defensio illa præ-  
us minus idoneis probari queat? qui-  
am negant, quidam distinguunt, qui-  
do intricant, nos itidem ab affirman-  
& reliqua huc pertinentia ad præ-  
relegamus.

*disputationis seges, sequentes*  
*ponimus adsertiones.*

potest ad sumptus studiorum filio præ-  
egitimam computari nequeunt.  
orum tacita hypotheca non constituitur.  
supremæ præsentatione & insignium do-  
moveri nequit, licet per quinquennium

clausula loco juramenti, vel subinterpe-  
rari juramento verè & realiter præstito,

sub juramento in ingressu officii præsti-  
monii non admittuntur, sed speciale te-  
are coguntur. 6. Prin-